[Ve]ritas magna et fortior prae omnibus. Omnis
terra veritatem invocat, caelum etiam ipsam be-
nedicit, et omnia opera moventur et tremunt
eam, et non est cum ea quicquam iniquum.
Iniquum vinum, iniquus rex, iniquae mulie-
res, iniqui omnes filii hominum, et iniqua omnia
illorum opera, et non est in ipsis veritas, et in sua
iniquitate peribunt, et veritas manet et
invalescit in aeternum, et vivit et obtinet in
saecula saeculorum. Nec est apud eam accipere per-
sonas neque differentias, sed quae iusta sunt
facit omnibus iniustis ac malignis. Et
omnes benignantur in operibus eius, et non
est in iudicio eius iniquum, et fortitudo et
regnum et potestas et maiestas omnium aevo-
rum. Benedictus deus veritatis. Et desiit
loquendo. Et omnes populi clamaverunt et di-
xerunt: Magna veritas et praevalet. Tunc
rex ait illi: Pete si quid vis amplius
quam quae scripta sunt, et dabo tibi secundum quod
inventus es sapientior, et proximus
mihi sedebis, et cognatus meus vocaberis.
Tunc ait regi: Memor esto voti quod
vovisti aedificare Ierusalem in die qua regnum
accepisti, et omnia vasa quae accepta sunt
ex Ierusalem remittere, quae separavit Cyrus
quando mactavit Babyloniam et voluit
remittere ea ibi. Et tu voluisti aedificare
templum quod incenderunt Idumaei quando exter-
minata est Iudaea a Chaldaeis. Et nunc hoc est quod
postulo domine et quod peto. Haec est maiestas a te
ut votum facias quod vovisti regi caeli ex
ore tuo. XI

Tunc surgens Darius rex osculatus est eum
et scripsit epistolas ad omnes dispensa-
tores et praefectos et purpuratos, ut de-
ducerent eum et eos qui cum illo erant omnes
ascendentes aedificare Ierusalem. Et omnibus
praefectis qui erant in Syria et Phoenice et
Libano scripsit epistolas ut traherent lig-
na cedrina a Libano in Ierusalem ut aedi-
ficarent cum eis civitatem. Et scripsit omnibus
Iudaeis qui ascendebant a regno in Iudaeam
pro libertate, omnem potestatem et magistra-
tum et praefectum non supervenire ad ianuas ipso-
rum, et omnem regionem quam optinuerant
esse immunem eis, et Idumaei relinquerent ca-
stella quae optinent Iudaeorum, et in structu-
ram templi dare per singulos annos talenta
xx. usque dum aedificaretur, et super sacra-
rium holocaustomata hostiare coti-
die, sicut habent praeceptum, alia talenta x.
offerre per singulos annos, et omnibus qui pro-
deunt a Babylonia condere civitatem, ut esset
libertas tam ipsis quam filiis eorum et omnibus sa-
cerdotibus qui praecedunt. Scripsit autem et quanti-
tatem et sacram stolam qua deserviunt.
Et Levitis scripsit dare praecepta usque in diem
qua consummabitur domus et Ierusalem extruetur.
Et omnibus custodientibus civitatem scripsit da-
re eis sortes et stipendia. Et dimisit omnia
vasa quae separaverat Cyrus a Babylonia, et
omnia quaecumque dixit Cyrus et ipse praecepit fieri
et mitti Ierusalem. Et cum processisset ille adole-
scens, elevans faciem in Ierusalem benedixit
regem caeli et dixit: Abs te est victoria, et ab
te est sapientia et claritas, et ego servus tuus
sum. Benedictus es qui dedisti mihi sapientiam, et
confiteor domine patrum nostrorum. Et accepit epistolas
et profectus est in Babyloniam, et venit et
nuntiavit fratribus suis omnibus qui fuerunt in
Babylonia. Et benedixerunt dominum patrum suo-
rum quoniam dedit illis remissionem et refrigeri-
um ut ascenderent et aedificarent Ierusalem et
templum ubi nominatum est nomen eius in ipso,
et exsultaverunt cum musicis et laetitia diebus

Post hec autem lecti sunt XII vii.
ut ascenderent principes pagorum domo-
rum per tribus suas, et uxores illorum et filii et filiae
eorum et servi et ancillae ipsorum et pecora illorum.
Et Darius rex misit una cum eis equites
mille, donec deducerent eos in Ierusalem cum
pace et cum musicis et cum tympanis et tibi-
is. Et omnes fratres erant ludentes, et fecit
eos ascendere simul cum eis. Et haec sunt nomina
virorum qui ascenderunt in pagos suos in
tribus et in partem principatus ipsorum. Sacerdo-
tes filii Phinees filii Aaron. Iesus filius
Iosedech, Ioachim filius Zorobabel filii
Salathiel, de domo David ex progenie Pha-
res, tribu autem Iuda, qui locutus est sub Da-
rio rege Persarum sermones mirificos, in se-
cundo anno regni ipsius mense Nisan primo. Sunt
autem hii qui ex Iudaea ascenderunt de cap-
tivitate transmigrationis, quos transmi-
gravit Nabuchodonosor rex Babyloniae in Ba-